

Cor ... cujus anatomiam / [Johann David Seufferheld].

Contributors

Seufferheld, Johann David.
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tübingen : T. Werlin, 1662.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cs9qsa2t>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

C O R

CRUENTI IMPERII MONARCHA
VITÆ DOMINUS
OMNIUM FACULTATUM PROMUS CONDUS

Cujus

ANATOMIAM,
DEO TER OPT. MAX. FAV.
SUB PRÆSIDIO
VIRI

NOBILISS. EXCELLENT. EXPERIENTISSIMI
DOMINI

GEORG-BALTHASARIS METZGERI
Med. Doct. Practic. Anat. & Botan. P. P.

Celeberrimi, Facultatis suæ p. t. DECANI
Spectatissimi:

Domini Preceptoris, Hospitis atque Patroni sui
nullo non honoris & observantie affectu atatem
prosequendi.

placidæ PHILIASTRORUM disquisitioni sistit

JOHANN-DAVID SEUFFERHELD.

IN AUDITORIO MEDICO,

Ad diem August.

Horis consuetis.

TUBINGÆ, Typis Theodorici Werlini,
ANNO M DCLXII.

QUI audit de CORDE h̄c agi, non invitus suum
nobis assensum largietur, arduum h̄c negotium
agi. Facilimum quidem est in laudes Cordis ex-
currere; ubique enim uberrima dicendi suppetit mate-
ria: at difficilimum in ejus īdolem inquirere, & quid
rerum in secreta camera gerat explorare; Principis ar-
cana divulgare periculosissimum. Inquirere in arcana
regii status paucis benē cessit, teste Roffincio *dissertat. de*
Corde. Sed superat difficultatem visceris dignitas, mi-
nuit periculum inquisitionis utilitas, vincit necessitas.
Historiæ ergo nostræ felix *Suus* *Θεος* auspicium a nomine
capiemus.

Thesis i.

COR quasi κῆρ aut κέαρ nonnullis sonat ἀπὸ θυμίου
urere: Caloris enim focus est, unde suum cæteræ
partes ignem mutuantur & fomentum. *Isidorus* à καρδίᾳ
accersit, quod *Chrysippus* 3. de plac. *Hipp.* & *Plat.* 7. quasi
κεράτια à κεράτιον dominari, dictum vult; ad clavum enim
microcosmi sedet, hujusque ad nutum reliquæ se par-
tes componere necesse habent. *I. Backius* Cordis pri-
matui, si quis aliis, infensissimus *dissent.* de Corde ἀπὸ θυμίου
καρδίᾳ οὐδὲν ob indefessum, quō gaudet, motum, cum
aliis deducere mavult; quō tamen modō rectius cum
Poëtis factâ literarum metathesi καρδίᾳ scribendum est.
A. Piccolomineo ἀπὸ θυμίου περιστολή, area panaria dicitur; ut hīc
panis pinsitur, ita sanguis ibi & spiritus. Quibus Lat-
um redolet, vel à currendo ceu perpetuum in corpore
mobile, vel à cura, quòd omnis hīc solicitude & sci-
entiæ causa manet, (à qua conjectura nec *Isidorus* planè
alienus est, sequiturque vestigia *Ovvenus* 3. *Epigr.* Cor-
nisi cura nihil) nomen traxisse videtur. *Nostratibus* *Herib-*

quasi **Hertl** ob solidam parenchymatis substantiam,
Martinij judiciō audit. Centuram Grammaticis relin-
quemus. Interim quid in præsenti hoc sibi nomen ve-
lit, ex dictis patet. Ut taceamus varias **καρδίας** in Sacris
& aliâs obvias notiones, *Hippocrates Veterumque chorus*
ferè omnis os ventriculi hâc voce descripserunt, ob-
mutuum utriusque consensum & symptomatum simi-
litudinem : delicata pars utraqüe est, utraqüe doloris
impatientissima. Hic proprio significatui inhæremus.

II. *Viscus est medii ventris reliquorum facile princeps,*
sanguinis calorisque vitalis fons & focus.

III. Principis inter partes nomen locumque me-
retur **Cor**, sive dignitatem, sive necessitatem videoas ;
absolutum in cæteras imperium exercet, quæ sine Cor-
de nihil possunt, ut nec Cancellarius aut Major-domus
sine rege: quo simili delectatur *C. Hofmannus Comm. I.*
de us. part. 16. Unde *Philosophus*, juxtaqüe cum eo *vete-*
rum & recentiorum plurimi, quin & suô modô *S. Codex*
sceptrum eidem cum debitâ honoris & officii titulis
offerunt, jamque aureum (*vitalis nectaris*) aquarium,
animæ regiam, jam caloris focum, vitæ dominum,
corporis solem, facultatum omnium promum con-
dum, omnium partium regem, τὸ πᾶν καὶ ὅλον, &c. salu-
tant. Contrà injurii in nobilissimam partem sunt, qui
eidem honorem Principi debitum vel planè negant,
& cum *I. Backio d. l. Aësopicæ corniculæ aliarum avium*
plumis decoratae comparant, unde si repetant suas sin-
gulæ plumas, nihil præter saltum superfuturum spon-
dent ; vel cum cerebro, hepate, testibus imperium di-
videre jubent ; ipsæ enim partes hæ honorem hunc de-
fugiunt, & Cordis se sceptro vel ultro submittunt, cui
vitam, vires & omnia accepta referunt. Nec magis hac

acul-

à culpa se absolvere norunt, qui ad ornatum Cor comparatum putant, non ad esse, sed bene esse; quod crimen C. Hofmanno imputat Th. Bartholinus in vindic. Anat. Quò enim jure inter ornamenta numeratur illa pars, qua sine ne esse, nedum operari possunt aliae, unde cæteris non dico alimentum, sed vita ipsa venit, quâ læsâ nemo unquam evasit? Omnia verò iniquissimi censendi, qui cum Riolo ex magnitudine partis dignitatem æstimant: sic profectò pessimè cum viscere nostro ageretur, & nescio cui non putidæ parti suam facile dignitatem cederet. Eleganter Th. Bartholinus in dub. Anat. de lact. thor. defens. contra Riolo respondet: Persarum remp. inspexit Riolanus, cùm hæc scriberet, qui reges suos corporis mole excedere volebant, quod Barbaris quoq; in more positum Curtius narrat. Non idem Natura.

IV. Sedem tenet Principe dignam in medio ventre, regio loco secundum Democritum in epist. ad Hipp. de nat. hum. Εν χώρᾳ αἰΓαλεσάτῃ 6. de us. part. 7. velut in arce 3. depart. anim. 7. Vicinis partibus ceu satellitibus stipatur, anterius sterno, posterius vertebris, utrinque costis Λερκές τε Βόλς bene vallati circum circa muri instar 6. de us. part. 2. clauditur, quæ undiquaque ab externis minis immunitatem præstant. Pulmonum lobis ceu molli stragulo involvitur, qui æstus Coi sententiâ temperant, rapidumque ex omni frangunt parte calorem, nec non in sanguine transcolando inferiunt; pericardiō ut vestimento circumjectō 6. de us. part. 16. vestitur, ne suâ facile sede excidat, neve præ ariditate & squalore sub jugi motu deficiat, continuo aquæ aspersu reficitur. Mediaстini, cui & diaphragmati pericardii interventu connectitur, ope, ne ad vicinas partes durius allidat in medio suspenditur, in basi

Corde intelligendum venit. Magnas olim turbas hæc de-
Cordis situ Logica quæstio, ut omnes in arte inutiles
vocat Galenus I. de loc. aff. I. 3. de loc. aff. I. inter I. Matthæum
& L. Esthium Medicos excitavit, quas legere licet apud
C. Hofmannum comm. 6. de us. part. 2. Rem verbō expe-
dimus; medium occupat Cor, quantum per vicinas par-
tes licet, præsertim latiori sui parte seu basi; hæ ubi ob-
stant, parte reliquâ, ut venæ cavæ à dextra parte ac-
cedenti & diaphragmati cedat, deorsum & sinistror-
sum leviter declinat, ubi pulsus sub læva se papilla pro-
dit; situsque hic tam in vivis quam in mortuis ordi-
nariè obtinet: ubi mutatur, Corque dextrum latus re-
flexo apice pulsat, funesti ferè evenrus præludium ha-
bet Cardanus in arte parva, remque triplici historiâ con-
firmat. Sed Cardano contraria Riolani exempla oppo-
nimus in animadvers. in theatr. Anat. C. Bauhini, quo
cum amicè transfigat, si potest. Videsis etiam Isaaci Cat-
tieri observ. P. Borell. commun. 17.

VII. Hic antequam abeamus, monenda circa cor-
 dis situm nonnulla restant. Ex aliorum orere fert N. Mas-
 sal. introduct. Anat. si exactè Cor medium teneat, face-
 re ambidextros, ubi ad sinistrum vergat, sinistram pro
 pro dextra esse. Sed sine fundamento. Non situs aut
 inclinatio cordis, sed influxus caloris partes ad actio-
 nes animat; at in omnes æquè partes suos Cor per ar-
 terias diffundit radios vivificumque calorem, sive me-
 dium exactè teneat, sive ab eo declinet. Causam ita-
 que verius in consuetudine & exercitio quaerimus. Nec
 plus roboris in situ Cordis vulgi persuasio invenit,
 quâ sinistrò latere affectò magis cordi timent, quam
 dextrò. In pleuritide præsertim satis hicanxii sæpè sunt
 & ægri & Medici. Z. Lusitanus ultrò citroque ventilatâ
 quæ-

quæstione tandem cum multis in vulgi partem inclinat
l.2. hist. Med. Pr. q. 19. Nos parvam periculi differentiam,
 sive dextra sive sinistra pars laboret, agnoscimus; utra-
 que Cordi in medio ferè suspenso vicina est; nec hic
 tām vicinitas, quam visceris situs facit, quām vasorum
 communio, unde potissimum in damni commercium
 trahitur Cor, eademque ab utraque parte est, metuen-
 da venit. Sed quid de Cordis epithematib⁹ dicendum?
 In sinistro latere & quidem sub mamma ea applicare
 omnes jubent, ut sinistrum ventriculum & aortam hīc
 viciniora citius subeant. Nobis etiam latera præ me-
 dia thoracis parte placent ob faciliorem medicamen-
 torum penetrationem, quam ossea sterni substantia in-
 tercipit; an verò præ dextro sinistrum latus præroga-
 tivā gaudeat, non immeritò dubitamus; nisi enim per
 venas cum refluo sanguine medicamenti vis ad Cor
 eat, vix Cordi laboranti succurrere novit: at par san-
 guinis utrinque recursus fit. Motus cordis in sinistro
 manifestus tale quid persuasisse videtur.

VIII. Constat Cor parenchymate diversæ ab alio-
 rum viscerum carne indolis, ut & officio & actione ab
 illis abit. Durum & densum est omnique fibrarum ge-
 nere intertextum, ut sanguinem & spiritus non modò
 fideliter custodiat, sed & eisdem assiduō motu per ar-
 terias in universas corporis regiones propellendis suffi-
 ciat. Fibrarum harum intuitu Cor musculi titulō do-
 navit *Hippocrates de Corde.* Contra tamen præcepto-
 rem & rectè sensit *Pergamenus Doctor 7. de admin. Anat.*
8. 6. de us. part. 8. *A. Piccolomineus* de utriusque concili-
 atione sollicitus musculum naturalem dicit; *Lindenius*
 musculum actione non tendine: *Riolanus & Petrus Lau-*
renbergius verè & κυριώς sumtā voce negant, concedunt

impropriè & analogicè. Carnem obvelat tunica te-
nuissima quidem, ad visceris tamen firmitudinem sa-
tis robusta, quam dum arctissimè complectitur, hanc
& quicquid intra eam est, colligit & munit. In hydro-
cardia hic subinde hydatides notantur. Tunicae huic
imprimis circa basin adnascitur adeps, rarius circa co-
num & reliquam superficiem, eâque nonnunquam co-
piâ luxuriat in frigidioribus præsertim & pinguioribus,
ut Cor huic involutum defuisse imperitiores non se-
mel Anatomici & Aruspices judicârint. Dividere ope-
ram in Cordis humectatione cum pericardio & vices
hujus circa basin supplere creditur; sine dubio etiam
majora vasa firmius jungit, & fulcit. *P. Laurembergio*
aquam pericardii naturâ frigidiusculam, ne Cor lædat,
calefacit; contrà *A. Laurentio* ceu frigida circumfusa
excandescientiam & æstum Cordis nimium temperat.
An ex materiæ potius necessitate, quàm in necessarium
finem nascitur? Quô modô inferuentissima corporis
regione concrescat, mirantur omnes. *C. Hofmannus* 2.
inst. Med. 130. cum *Laurentio* 9. *Anat.* 10. totum hoc
opus providentiæ Conditoris adscribit; qui certè à ve-
ritate non aberrat; moderatur enim illa ex æquo uni-
versas corporis partes; desiderio tamen nostro per
omnia non satisfacit, ubi de proximis & naturalibus
causis, non illa universalis & remota quæritur. Própius
rem tangit *Roflincius* *diss. de Cord.* c. 3. generatur circa
Cor calidissimum ex oleosa sanguinis crebrâ motione
separatâ parte, quemadmodum in valida agitatione bu-
tyrum separatur à lacte (quo simili utitur *Achillinus*)
singulari naturæ providentiâ ζωμέρον conferente adi-
piscâ facultate, concurrentibus primis activis caloris
& frigoris qualitatibus. Non liquefcit autem: calor
enim

enim Cordis est blandus, vitalis, generativus, non colligatius aut destructivus. *Riolanus* hunc, ut olei vitrioli affusione in stirias vertitur oleum tartari, inducati credit.

IX. Rarius præter adipem etiam pilis vestitur Cor hirsutumq; evadit historias suppeditant *Plinius l. II nat. hist. 37. V. Maximus l. I c. 8. Benivenius de abd. morb. caus. c. 38. Amatus Lusitanus cent. 6. cur. Med. 05.* Alii alias. Audaciæ & calliditatis argumentum ab omnibus habetur. Causam rejicit *Gr. Horstius in epist. med. prior. f. 5.* in temperamentum Cordis calidius, quod tæpe etiam thoracem & vicinas hypochondriis partes hirsuta reddit, vel ipso *Galen teste art. parv. c 29.*

X. Eunt per Cordis exteriora omnis generis vasæ, privato dicata utui, superficialia, quod per superficiem excurrent, dicta. (1.) Arteria coronaria; coronat enim Cordis basin suâ ramificatione, demissis nonnullis pariter turculis per longitudinem ad conum; sanguinem ad omnem Cordis substantiam nec non auriculas diffundit; ortum ab aorta trahit. (2.) Vena pari cum arteria, quam comitatur, nomine gaudet, venæ cavæ lobules extra Coronata, quæ reliquum à nutritione sanguinem ad focum revocat; semilunari ideo valvulâ, ne restagnet humor, munitur: Duas aliquando arterias unicâ junctas venâ animadvertisit *Conringius de cal. innat. c. II. Deusingius in Instit. Anat.* utrumque vas geminum vidit. Rami plures & grandiores à vena & arteria ad sinistram, pauciores ad dextram partem abeunt, quod & ille grandior & crassior sit, & copiosior rem ideo sanguinis affluxum & refluxum postulet. (3.) Nervi à sexto pari orti, qui fortè præter tensum atut exiguum & satis obscurum, ut patet ex historia

Harvei de gen. anim. Cordi nihil largiuntur, quicquid hīc obloquantur alii, qui motum hinc accersere volunt, & nonnunquam ex obstructione subitaneam mortis causam petunt, quos delirare, dicit *C. Hofmannus in Inst. motus enim Cordis non animalis, sed naturalis est, duratque dissecto nervō.* *Galenus 6. de us. part. 18.* nonnisi unicum concedit in pericardium tendentem : Nostrates plures in Cor ipsum, auriculas & & majora vasa euntes monstrant, ut videre est apud *Th. Bartholinum in Inst. Anat.* Solus *Fallopianus integrum glomum* vidit 4. *obs. 15.* sed post ipsum haec tenus nemo, nisi fibras illas figurā nervorum æmulos plures à *Veslingio in Anat.* descriptos huc trahere velis. Hos consensū cerebri cum corde autores facit *Lindenius.* Præter vasa recensita nonnulli etiam vasa lymphatica adducunt, lympham in Cor, ceu Oceanum exonerantia, quā privus sanguis concrevisse non raro deprehensus fuit, ut abundè probat *Th. Bartholinus in defens. lymphat. contra Riolanum cap. 7.* Terminant autem hæc non in ipsum Cor, ut puram infundant lympham, sed in axillares effusam, antequam in Cor eat, sanguinis societate tingunt, fortè ne suā limpiditate principem Corporis partem offendat, quod circa chylum etiam fieri videsmus. Vide *Th. Barthol. d. l. c. 5. Rofinccium l. 5. dissert. Anat. c. 25.*

XI. A nervulo quodam de Corde nato, & ad digitum sinistræ præsertim manus minimo proximum excurrente, peculiarem cordis cum hoc digito consensum accerserunt Ægyptii, ut ex *Appione* refert *A. Gellius 10. Noct. Attic. 10.* quem ideò annulis præ aliis ornabant, confectis in templo odoribus illiniebant, annularemque & medicinalem digitum salutabant, secundum

A. Macrobius 7. Saturn. 13. cujus tamen facti aliam est iam d. l. caudam habes. Sed nihil tale hactenus dexterrimorum Anatomicorum vel oculi viderunt, vel manus detexerunt, nec à Corde, ut quidem docuit *Philosophus 3. de histor. anim. 6.* verùm a spinalis medullæ radicibus nervi distribuuntur. Nec veriora dixit *L. Lemnius 2. de occult natur. mir. 11.* qui tenuem arteriæ cujusdam ductum substituit; arteria quidem è Corde exeunt, communem tamen omnes ortum agnoscunt, quæque ad annularem exporrigitur digitum, æquè cum cæteris ab arteria manus oritur; majoris itaque præ illis momenti non est.

XII. Adhærent utrinque Cordi ad ventriculorum ostia, ut aures capiti, *6. de us. part. 4.* appendices geminæ, à situ & figuræ similitudine, auriculæ (an. etiam ab usu, quasi hauriculæ ? sanguinem enim hauriunt, & in Cor effundunt,) dictæ. Mediam cum Corde & vasis substantiam habent, ut nec rectè cum *I. Backio, & Th. Bartholino* vasa dilatata, nec cum *C. Hofmanno* Cor dilatatum, sed verius Cordis & vasorum substantiam dilatam, & cum utrisque continuam cum *A. Deusingio* dixeris. Amplior & major dextra sinistrâ est; magnæ enim venæ cavæ connectitur orificio ad excipiendam refluī sanguinis magnam abundantiam; hæc verò aetior paulò pro sanguinis descendens paucitate, venæ pulmonali præstò est. Utraque mollis est & concava, ut cedere, & humorem suscipere; fibrisque nervosis instrueta, ut relaxationem & contractionem experiri, susceptumque laxante se Corde ventriculis debitè admitiri queat; hinc invehentibus solum vasis annexæ sunt. Ducunt sanguinem, & quicquid huic accessit, in Cor, dextrâ quidem à partibus reducem cum chylo &

Lympha, in axillaribus committis in dextrum; sinistra in pulmones effusum & venæ pulmonalis ope allatum in sinistrum.

XIII. Vocantur ventriculi thalami, sinus cordis, &c. in quos se exonerant auriculæ: Carnea velut ahenæ repræsentant, multis nervosis musculosisque corpusculis & rectis & transversis parum cum auriculis scopo ad relaxationem s. diastolen & contractionem, s. systolen implicati; in illâ sanguinem ab auriculis accipiunt, in hâc exprimunt. Amplior iterum dexter sinistrô est, sed tenuior; angustior sinister, sed duplô, sæpè triplô crassior & robustior, quod sanguis hâc perfectione, majorique robore in omnes microcosmi regiones propellendus sit; quô respectu apud Galenὸ ille 6. de us. part. 7. hic ~~apud Galenὸ~~ dicitur. Secernitur alter ab altero carneō & densō interstitio, ceu pariete intergerinō, quod septum Anatomici vocant, compluribus scrobiculis a cavaeis excavatum. Tortuosa hæc foramina sunt, sed exilia, quorum extremos fines vix cernere licet, secundum Galenum 3. de facult. nat. 15. Helmontius in blas. hum. §. 21. triangulares poros vocat, V. Fort. Plempius in fund. Medic: cùm oculis usurpare non potuerit, invisibiles, Naturæ tamen cognitos meatus credit: Per hos sanguis Autorum citat: aliorumque sententiâ ex uno ventriculo in aliud transudat. Sed ne urgeamus cartilagineum aliquando Columbo visum, septum hoc, densâ ab altera parte membranâ obductum C. Hofmanno, cavae hæ potissimum utut curiosô Cor oculô intuentibus ne quidem apparuerunt, ut præter Plempium Arantius observ. Anat. 33. ingenuè confitetur, aliis cum Conringio, Columbo, C. Hofmanno, Harveo, Highmoro, Hornio, superficiariæ solum visæ sunt, in aliquale sanguinis sub Cordis systole

diverticulum, nec in vivis, nec in mortuis, nec in crudo, nec elixo corde, nisi cum *Fr. Mandello*, apud *C. Hofmannum* comm. 6. de us. part. 9. 10. 11. transactō per vim stylō perfodias, perviæ. Contrà viæ in pulmones omnibus & semper obviæ, sanguini omni transituro fatis patent: procul dubio, itaq; huc potius Naturæ jussu, quām illuc ire debet sanguis; gratisque dicitur, subtillem illic transudare, crassiorem in pulmones effluere; his enim ambagibus natura in non necessariis non abundans non delectatur. Qui plura hâc de materiâ desiderat, *C. Hofmannum t. d. Slegelium* comm. de *sanguinis mot. contra Riol M. Hofmannum* disp. de *sanguinis per Cord. septum impossib. transitu* consulat.

XIV. Motui huic sanguinis quatuor circa Cordis basin vasa destinata sunt, duæ venæ, totidemque arteriæ. Comparantur famosis illis è paradiso oriundis, quæ uniyersam irrigabant terram, fluminibus; quarum illæ in Cor ceu cisternam sanguinem deponunt, hæ exhauriunt, & evehunt. Venarum prima *cava* dicitur, insigni enim præ cæteris cavitate superbit: patenti dextro Cordi ore sanguinem ex hepate & universo corpore refluum, sanguinique commistum chylum advehit, & ne regurgitet, impetum tribus objectis valvulis tricuspidib⁹ coërcet. Hujus ope ab omnib⁹ facile partibus in consensum trahitur Cor, & ab utero, liene, &c. malè affectis, palpitationem, syncopen, & nescio, quæ non damna alia sentit. Comes huic it è dextro Cordis sinu *arteria pulmonalis*, quæ sanguinem per venam sub Cordis diastole infusum imbibit, & ad pulmones sub systole ducit, ut aëre inibi imprægnatus debitèque præparatus, qui quidem à pulmonum nutritione resiliens est, ad sinistrum porrò sinum deportetur: hæc

ctiam

etiam ne quâ exiit, viâ redire sanguinem patiatur, valvulis sigmoideis tribus instructa est. Deportationi in sinistrum sinum *vena* præstò est alia *pulmonalis*: quæ haustum ex pulmonibus sanguinem auriculâ sinistrâ intermediante eò effundit, præcavetque mitralium valvularum operâ retralapsum, quam iterum comitantur arteria *aorta* quasi ~~g~~^s ob insignem, ut putant, magnitudinem dicta: defert quasi manu acceptum ex Corde alimentarium succum & vitalem ignem ad singulas corporis partes, cùmque his non rarò varia variorum morborum semina. Tres orificio valvulas semilunares præfixas ostendit, quæ retrò nitenti sanguini viam intercludunt. Et hæc facies vasorum Cordis extra uterum est. In utero paulò aliter se habent. Cùm enim hîc ob insufficientem pulmonum motum sanguis omnis ab uno Cordis sinu in aliud per medios pulmones duci non possit, æquè tamen partes ut extra uterum suum à Corde demensum petant, alias hîc natura vias sanguini reseravit, partimque hunc è *vena cava* per foramen ovale, insalutato dextro sinu, in *venam pulmonalem*, partim ex arteria pulmonali per canaliculum, neglectò sinistrò in aortam ducit, donec fœtu jam edito & rarefacto magis perfectioris respirationis ope, pulmoñe, liberior huc transitus concedatur.

XV. Valvulæ vasorum præprimis arterialium in Corde senum subinde in os degenerant, quod contra autoptas fide plenos imperitè negant *R. Columbus* & *T. Knoblochius in Anat.* Nos similia olim circa magnas arteriarum divaricationes in artibus vetulæ Patavii sætæ invenimus. *Th. Bartholinus* illud aliquando friabile deprehendit *I. hist. Anat.* 50. Cui bono fiat, interrogatus *Philosophus* esse fulcri gratiâ credit *3. depart. anim. 4.* quam

quam probabilem censem conjecturam *Galenus 6. de us. part. 19. Th. Bartholinus* summæ naturæ providentia adscribit, ut torpidus alioquin sanguis velut stimulō additō ad motum incitaretur *2. hist. Anat. 45.* Sed cum paucissimis & ætatis injuriâ nascatur os hoc, non sine ratione *Bauhinus & Laurembergius* in damnum potius quam commodum nasci statuunt. Vermibus, lapidibus onustos Cordis sinus *Schenkius l. 2. obs med.* describit, viscidis lentisque in cachecticis, hydropicis, aliisque diuturnis morbis extinctis, humoribus, fibrosisque corporibus implicatos cum *Bauhino in theatr. Anat.* notavit *Wepfernus*, quibus ad carotides internas & vertebrales propè cerebrum delatis, apoplexiā oriri vidit *Exerc. de l. aff. in apopl.* Adipe interdum referti visi sunt ex *Hippolyti Bosci observatione*, quem tamen fortè post obitum demum, ut crux solet, concrevisse suspicatur *Conringius de cal. innato c 12. M. Aur. Severinus l. 4. de recond. abscess. nat. anguis in modum concretam massam depingit*, adde *N. Tulp. I. obs. 27. P. Borellum I. hist. & obs. medicophys. 88. & alios.*

XVI. Cor numerò singulis unicum est, sc. *ον αγαθη πλυκεραγιν, εις μεταξω.* Plura E. qui finixerunt, vel allegorias vel fabulas amant. Mole præditum exiguâ, cum aliis visceribus si conferas, ad faciliorem motum; grandius, si corpus intuearis, quam ulli brutorum, ut animalium spirituum proventui sufficiat, censurâ *Rofinii.* Communiter in longitudine sex, in latitudine & altitudine ferè quatuor transversos digitos habere dicitur. Grandius timidos, minus audaces & generosos facere creditur *ex 3. de part. anim. 4.* quod ad spirituum copiam & inopiam referimus. Increscere singulis ad quinquagesimum usque annis ad duas drachmas,

totidemque iterum annis pari modo decrescere, ut vel
ideo termin⁹ omnib⁹ fatalis sub centesimo anno neces-
sariò instet, somnium *Aegyptiorum* fuit, Anatomicorum
observationib⁹ contrarium, inventiq; sunt non semel,
qui centesimum & plures annos superārunt. De figura
nemini non constat, *Galen.* cono æmula visa fuit 6. de us.
part. 6. alii fructui pineæ obtusiori, pyro longiusculo,
metæ, &c. comparant. Causam suggerit *Autor de Anat.*
viv. esse in Cordis tutelam, vatorumque exeuntium
commoditatem.

XVII. Restat usus Cordis, qui *Anatomicis* Eridos
pomum est. De hoc quid *Hippocrates*, quid *Plato*, quid
Aristoteles, quid denique *Galenus* senserint, multis ena-
rat *Lindenius in med Physiol. art. 17.* Recentiorum judi-
cia collegerunt *Rolfinius de Corde*, *Mæbius fundam. medic.*
Physiol. c. de Corde, singulos adducerunt per pagellarum
angustiam non licet. Nostrō judiciō I. *Cor unica*
sanguinis officina est. Huc enim omnis chylus, sanguini-
nis materia, confluit, hinc sanguis ex chylo elaboratus
effluit, huc crudior qui est & ulterioris expolitionis in-
digus continuo circulo redit. Vias chyli ad Cor pri-
mus monstravit I. *Pecquetus in exper. Anat.* pluribusque
post delinearunt I. *Hornius de novo ductu chylif.* Th. *Bar-*
tholinus de thorac. lact. quas tamen vel penitus obstrue-
re iterum, vel insufficientia solūm accusare cum *Riolano*
haecen⁹ multi tentarunt, sed ut ex *Barthol. dubiis de lact.*
thor. defens. lact. thor. contra *Riolanum* videre est; inani
labore. Tandem L. *Bilssius in experimentis Anatomicis*, cui
operam suam serio locavit *Deusingius de sanguificat. con-*
tra Charleton. de hepat. off. ad Th Bartholinum vindic hepat.
ad I. Horn. rem omnem se confecisse productis roriferis
ductib⁹ credidit, sed & hic spe suâ excidit, ut *Th. Barthol.*

spic. 2. pro vas. lymph. resp. de exper. Bilf. nec non hep. diff. ref. tandemq; dis. Anat. de hep. def. N. Steno resp. ad vind. hep. red. egestate pluribusq; ostendunt, ad quos curiosos brevitatis amore remittim⁹. Interim tantum abest, ut minuat hoc officium Cordis dignitatem, quod quidem E. Leichn. hyp. 1. de sangu. morte & alibi metuit, ut potius augeat, cuius enim potius est, quam partium principis reliquarum coīmodo & conservationi studere, cuius potius demensum singulis distribuere? vide in hunc scopum elegantem comparationem, Rossinc. in lim. dis. de Cord.

XVIII. Nec obstat momentaneus materiæ alimentaris per Cor transitus, quem omnes ferè suspectum habent; si enim hepatis, quod tribus chylus pulsibus secundum VValaum l. 1. Inst. c. 6. antequam decem numerare possis, c. 12. transit, sanguificationi ex hypothesi nihil derogat itineris destinatio, multò min⁹ Cordi, ubi diuturniore moram agit, nocebit; uno enim per Cor transitu tantillaq; in Corde mora beneficiō fermentationis, quam hic iterum experitur chylus plus in Corde, facultatis vitalis sede calorisq; foco, exaltationis spirituum contingit, quam fortè integra per vasā & habitum corporis circumgyratione, ut benè conjicit Deusing. de sanguific. contra Charlet. nec uno per Cor transitu sed itu & reditu crebriori, depositis hinc inde in variis Naturæ emunctoriis, detrimentis, collectisq; alimentaris substantiæ partib⁹, quæ in dextro Corde inchoatur sanguificatione, in sinistro tandem perficitur, unde s̄pē non modò in chylo & lacte, sed & sanguine ipso cibi qualitates adhuc obvię sunt. Qui sanguinem ante Cor natum objiciunt, refutantur à Deusing. l. d. Induit autē lacteus chylus sanguinis purpuram non ob alterantis visceris colorem, quod veterum de sanguificatione hypothesis fuit: ipsa enim viscera affuso sanguini suam debent rubedinem, sanguinisq; purpura resplendet in primis fœt⁹ rudimentis, antequā viscus ullum rubidine tinctum est, sed ob ipsius materiæ melior digestionem, circulationē, variamq; variarum partium commissione & separationem, quod in chymia & metallurgia quotidie obvium. Multis hoc naturæ artificium exemplis declarat Th. VVallis diatribe de ferment. cap. 11. Entius in apolog. pro circul. à talis acidi commissione ruborem petit, quod cùm massæ sanguinæ copiosissimum insit, ideo procul dubio antequam Cor ingreditur chylus, sanguinis connubio gaudet in præviam felicioris mutationis futuræ dispositionem, II. Cor spirituum vita-

Kum calidig₃, elaboratorium est. Spiritus calidiq_{ue} nomine (nec enim hæc distinguimus) nobis subtilissima, calidissima sanguinis pars venit, quō ipso facile cum Harveo, Backio & alijs de existentia spirituum in corpore dubitantibus in gratiam redimus. Sanguinis itaque officina dum audit Cor , nec huic sanguinis parti suam denegare operam potest. Præbent materiam alimenta assumpta , in primis quod in his spirituosum est ; aërem verò ut in consortium trahamus , opus non est , pluribusque contra hunc C. Hofmannus agit de thorace. III. Cor sanguinem spiritusq₃, confectos suo de penu toti corpori partibusq₃, singulis elargitur. Adeo necessaria hæc nectaris vitalis è Corde distributio est , ut cum hâc omnis stet cadatque vitalitas , quod vel unica syncope probat. Exequitur hoc Cor officium perenni suo motu , qui ideo in primis Cordis rudimentis ceu palpitante bulla statim conspicuus est , fitque pulsifica Cordis vi , quâ contractis Cordis lateribus sanguis , qui vel à partibus in Cordis diastole rediit , vel recens è chylo confectus fuit , in omnes corporis regiones arteriarum ope , cumque hoc omnis vita , calor facultatesque omnes propelluntur. Quantum singulis pulsibus effluat , multi majore curiositate , quam utilitate querunt , nobis ob chartæ angustiam huc evagari non licet ; interim difficile , imò impossibile judicam⁹ cum Kyp. in med. contr. l. i. c. 13. certi aliquid hic determinare. Acceleratur enim & retardatur motus hic pro ratione ætatis , temperamenti , texus , annorum temporum , animali & corporis motuum aliorumq₃ ; de quibus alio tempore. Nunc rivos claudimus.

DEO Soli GLORIA.

Ad Peregrium Dn. Resp. Cardiognosten Physico-Med.

*TE Cor ex cerebro non regni Corde tuentem,
In cerebro multum Cordis habere reor.*

*Hinc igitur cerebri firma & concordia Cordis,
Ingenijque Tui spiritus inde patet.*

*IoH. CONRADUS Brodtbeck Med. D.P.P.
Acad. Tub. h.t. Rector.*

*EN SEVFFERHELDVM : qui disputat intima CORDIS
Cui fibra CORDIS ventriculique patent ?*

Annon hunc fas est nunc dicere CARDIOGNOSTEN ?

Dignum quo solum nomine Numen erat.

Omnia Respondens sub tanto Praeside pandit :

Mome, fenestella non opus ergo tuā,

TOBIAS WAGNER, D. Pro-Cancell. Universitatis

FINIS.